



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus

Engel, Ludwig

Salisburgi

§. 3. De Indulgentijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40922

246 PARS III. CAPUT II. §. II:
intelligitur de fœtu animato (in masculo dicitur
fœtus animatus post 40. dies à conceptione, in
fœmina post 80 Barb. ad. Decret. Grat. dist. 5.
n. 2.) in dubio præsertim quando non satis con-
stat de conceptione, non est casus reservatus,
Palao d. pun. 15. §. 2. n. 12. Reservatur procura-
tio sterilitatis, intelligi potest de perpetua sterili-
tate, non de una vel altera conceptione impedi-
ta Reservata est defraudatio decimarum, non
comprehendetur alia defraudatio Parochi,
quamvis gravior &c quo etiam faciunt ea, quæ
tradit Harp. ad tit. instit. de exhæred. lib. §. fin.
n. 66. quòd nimirum liberi ex alijs causis simili-
bus vel majoribus quàm in jure expressis ne-
queant exhæredari. nec est rarum, quòd ali-
quando delictum ob frequentiam gravius casti-
gari solet, quàm aliud quod in suo genere est
majus. L. 1. ff. de abigeis. v. g. furtum, quàm
mutilatio membri, &c. præsertim confessiona-
lia redderentur plena scrupulis, si casus reservati
ad similes vel majores extendendi forent.

§. III.

De Indulgentijs.

SUMMARIA.

1. Indulgentia quid?
2. Indulgentia est ex meritis Christi.
3. Satisfactio pro peccatis debita.
4. Indulgentia quotuplices.
5. Indulgentia de pœnitentijs injunctis intelliguntur etiam de injungendis.

6. Qui

6. *Quis concedat Indulgentias, & an Episcopales
profint exemptis?*

7. *Quid jubileum?*

INDULGENTIA est remissio satisfactionis
sive pœnæ temporalis DEO pro peccatis de-
bitæ. enimverò quod Ecclesia ex potestate cla-
vium sibi à Christo *Matth. 16.* traditarum sol-
vit seu remittit in terris, solutum etiam est in
cœlis.

Hanc porrò remissionem facit Ecclesia per
singularem applicationem meritorum Christi,
& Sanctorum ejus, nam licet Christus infinite
DEO Patri suo satisfecerit pro peccatis nostris,
nihilominus hæc satisfactio non prodest indi-
stinctè omnibus; nisi quatenus alicui applicatur
vel immediatè per ipsum Christum, ut Mariæ
Magdalenæ & Latroni in cruce, vel per susce-
ptionem Sacramentorum, vel per Vicarium ejus
Rom. Pontificem. Aliàs enim, si Christus per
solam suam satisfactionem voluisset omnibus
indistinctè omnia peccata remittere, & securam
salutem conferre, frustra instituisset Sacramenta,
frustra peccatores non agentes dignos fructus
pœnitentiæ à regno cœlorum in multis Evan-
gelij locis exclusisset, frustra pastori Ecclesiæ
claves ad ligandum & solvendum concessisset.
Neque propterea per satisfactionem nostram a-
liquid derogatur meritis Christi, ut cavillantur
hæretici, qui licentiâ & libertate peccandi sedu-
cti horrent pœnitentiam & satisfactionem, quia
hæc ipsa satisfactio, non aliter vim & effectum
habet,

Q 4

habet,

habet, quàm ex satisfactione Christi, à quo offer-
tur Patri, & per quem acceptatur à Patre, sicut
declaravit Trid. sess. 14. de Sacram. Pœnit. c. 8.

3. *Decet divinam Clementiam, inquit ibidem Con-
cilium, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata
dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora pu-
tantes veluti injuriis & contumeliosis Spiritui sancto
in graviora labamur, quod experiantur hæretici
& obdurati peccatores, qui in profundum pec-
catorum descendentes tandem contemnunt &
in atheismum labuntur. Sanè præter constan-
tissimam Ecclesiæ traditionem de necessitate
satisfactionis infinita sunt SS. Patrum testimo-
nia. Ita S. August. in Psal. 50. Ignoscis Dor-
mine Confitenti, ignoscis, sed seipsum punient: no-
servatur misericordia & veritas. Loquitur plañe
ex sententia Apostoli: Si nosmetipsos judicare-
mus, non utique judicaremur à Domino. S. Cyr.
Deus quantum patris pietate indulgens, tantum ju-
dicis majestate metuendus est, quam magna deliqui-
mus, tam graviter desileamus. S. Hieron. in Epi-
taph. Paulæ ad Eustoch. Affligendum corpus quod
multis vacavit delicijs, &c. S. Ambr. de Helia.
c. 20. Pecuniam habes: redime peccatum tuum: di-
vitiæ vixi redemptio ejus. &c. quod notandum
divitibus & delicatioribus. S. Chrysoft. concl. 4.
de Lazaro. Supplicium quisque à se ipso exigat pro
peccatis &c. Quemadmodum domini tempo-
rales condonant offensionem & delictum sub-
diti, sed non illicò remittunt pœnam, faciunt
gratiam vitæ, sed imponunt pœnam mitio-
rem*

rem &c. Familiare autem fuit Christo ab exemplo actionum humanarum docere cœlestia, ut passim ex SS. Evang. textu notum est.

Dividuntur Indulgentiæ; quod aliæ sint *totales* sive *plonariae*, aliæ *parvales*, per illas remittitur tota pœnitentia & satisfactio sive in hoc sive in altero sæculo sustinenda, per has autem tantum pars aliqua pœnitentiæ, ut si indulgentia unius anni, septennij, vel 40. dierum concedatur, sensus est remitti pœnitentiam, quæ aliàs secundum rigorem Ecclesiæ tot annis vel 40. diebus (quæ pœnitentia 40. dierum in Canonibus dicitur *Carena, cap. 8. de accusationibus.*) peragenda fuisset.

Sed hîc movetur non inutilis quæstio, an, cum litteræ indulgentiarû ordinariè secundum stylum curiæ Romanæ soleant habere adjunctam clausulam, *de pœnitentijs iniunctis &c.* tales indulgentiæ etiam sint intelligendæ de illis pœnitentijs, quæ per Confessarium quidem *injunctis* non fuerunt, fuissent tamen secundum gravitatem peccatorum, & de rigore Canonum pœnitentialium *injungenda*? R. benigniorem esse interpretationem DD. quod hæc clausula non sit restrictiva indulgentiarum, sed ampliativa habens subintellectam particulam *Etiam*, ut sit sensus, etiam de injunctis pœnitentijs &c. Nam præterquam quod indulgentiæ sint gratiæ, & favorabiles animæ, ideóque latiùs interpretandæ juxta vulgatas juris regulas, Ecclesia quando concedit id, quod est majus & difficilius,

Q. S. lius,

lius, concedi solet, intelligitur etiam in eodem genere concessisse, quod est minus, *c. ex parte 27. de decimis*, sed plus est, & difficilius conceditur remissio pœnitentiæ *injunctæ*, utpote divino & humano præcepto debitæ, & per quam remissionem turbatur & impeditur inferioris judicis pœnitentiam injungentis jurisdictio, quàm concedatur remissio pœnitentiæ *injungenda*, quæ incerta & indeterminata est, ergò concessa remissio super injunctis pœnitentijs non immeritò etiam de injungendis explicanda erit. Quæ interpretatio præsertim hodierno jure & statu Ecclesiæ, ubi non amplius tam longæ & graves pœnitentiæ, sicut olim injunguntur, adhiberi debet, cum aliàs nunquam vel rarissimè indulgentiæ cum prædicta clausula: *De injunctis pœnitentijs &c.* utilitatem adferrent. *Panor. in c. cum ex eo. de Pœnit. n. 6. Suarez. tom. 3. disp. 50. sect. 3.* unde ulterius notandum est, valde utile esse pœnitentibus, ut studeant indulgentias ab Ecclesia concessas lucrari & divinæ Justitiæ potiùs per indulgentiam, quàm per modicas pœnitentias à Confessarijs injungi solitas satisfacere. Pœnitentiæ tamen, quæ potiùs medicinales & præservativæ sunt, quàm vindicativæ, etiam stante indulgentia peragenda sunt.

6 Indulgentiarum concessio primò & principaliter ad S. Pontificem spectat, cujus est dispensare thesaurum Ecclesiæ ex meritis Christi & Sanctorum collectum, *Extravag. 2. de Pœnit. inter communes.* Deinde verò per speciale privilegium

vilegium etiam à S. Pontifice inferioribus Præ-
latis concedi potest jus dandi indulgentias, sicut
est Episcopis in dedicatione dare indulgentias
unius anni & in anniversario 40. dierum & non
amplius, sive ab uno, sive à pluribus Episcopis
Ecclesia consecrata sit. *c. cum ex eo. 14. de pœnit.*
remiss.

Est autem remissio actus jurisdictionis sicut
ligatio, cum contrariorum eadem ratio censea-
tur, ideòque non prodest nisi subditis remissio-
nem concedentis, alienis verò tunc tantum, si à
proprijs suis Ordinarijs habuerint licentiam alie-
næ jurisdictioni & remissioni se subjiciendi, nam
prorogatio jurisdictionis in spiritualibus fieri
non potest, absque proprii judicis & pastoris
consensu, *c. quod autem 4. de Pœnit. & remiss.*
Exempti tamen etiam lucrari possunt indulgen-
tias Episcopales, nam in his favorabilibus, sicut
in commutatione & dispensatione votorum pro-
babilibus etiam sine speciali licentia S. Pontificis,
cui immediate subsunt, possunt se subjicere ju-
risdictioni Episcopi, ne aliàs propter exemptio-
nem sibi concessam sint deterioris conditionis,
quàm alij non exempti contra regulam, quod
id, quòd in gratiam alicujus est introductum,
non debeat in ejus odium retorqueri. *c. quod ob*
gratiam. de regulis juris. in 6. Prætereà hic actus
jurisdictionis non habet necessariam connexio-
nem cum ordine Episcopali, quia est condonatio
pœnæ extra Sacramentum & extra forum inter-
num pœnitentiale, ideòque Episcopus tantum
con-

confirmatus, quamvis non consecratus indulgentias rectè concedit, cum per solam confirmationem tanquam pastor accipiat claves Ecclesiæ, quarum autoritate aliquem extra Sacramentum solvere vel ligare potest. *Pasor. in c. accedentibus, de excessibus Pralat.*

- 7 Demùm remissio amplissima est *Jubilæum*, sicut enim in lege veteri quinquagesimus annus Jubilæus & remissionis dicebatur, quo Judæi debita & hypothecas aliasque possessiones prioribus dominis remittebant, servos libertate donabant, *Levit. 25.* quæ remissio præfiguratio erat remissionis peccatorum adventu Christi faciendæ, ita Ecclesia in lege nova pro solatio fidelium introduxit annum Jubilæi, in quo præter plenam remissionem peccatorum & poenitentiarum alias insuper gratias addere solet, ut liberam electionem confessarij cujuscunque, absolutionem à reservatis quibuslibet, commutationem votorum in aliud opus pium, non verò dispensationem simplicem, &c. Licet autem de jure hic annus Jubilæi (qui olim primùm centesimo, deinde quinquagesimo anno concessus fuit) hodie vigesimo quinto quovis anno concedatur illis tantùm, qui urbem Romanam & Basilicas Apostolorum Petri & Pauli visiterint, suspensis interim omnibus alijs indulgentijs per orbem, ut fideles tantò diligentius Romam veniant, ad lucrandum Jubilæum, ut in *extravag. 1. 2. & 4. inter communes, de Pœnit.* habetur, solent tamen Pontifices sæpiùs pro suo arbi-

arbitrio ex causa aliqua urgente, scilicet ad conciliandum Deum & avertendum periculum imminentis mali frequentius per totum orbem Jubilæum sive plenissimas indulgentias cum privilegijs Jubilæi non quidem per integrum annum, sed aliquot hebdomadas in quovis loco indulgere. Præ cæteris videri poterit Georg. Gobat, in suo tract. de duplici Jubilæo, in quo pro confessarijs multas utiles & practicas quaestiones tempore Jubilæi occurrentes resolvit.

CAPUT III. De Eucharistia.

SUMMARIA.

1. Eucharistia danda est quoties rationabiliter petitur.
2. Videtur verius quòd etiam quotidie, cæteris paribus peti possit.
3. Fallit in conjugatis.
4. Eucharistia quandoque petitur ad egrotum deferenda est reverenter cum comite & lumine.
5. Ad summptionem Eucharistia requiruntur dispositio animæ, & corporis.
6. Habens casum reservatum aliquando ante absolutionem communicare potest.
7. Non habentes usum rationis non sunt ad Communionem admittendi.
8. Communicaturus qualiter debeat esse jejunius.
9. Ad egrotum non debet Eucharistia deferri causa solius adorationis, si eam sumere non potest.
10. Ex-